4


AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM D. IOANNEM TARNOWSKI DEI GRATIA EPISCOPVM POSNANIENSEM,

PETRI LILIÆ S. T. Doctoris, Canonici Posnaniensis, & Præpositi Sredensis,
ORATIO.

Habita Srzodæ in Comitijs Equestribus pro felici eiusdem Illustriss. & Reuerendissimi Antistitis in suum Episcopatum ingressu.



Anno Domini M. D. XCVIII. in festo Conuersionis S. Pauli.



POSNANIÆ,
In Officina Hæredum Ioannis Wolrabi, Imprimebat
Martinus Bernbroch. 1598.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI D. IOANNIS TARNOVVSKI DEI GRATIA EPISCOPI POSNANIEN:



Non quæuis tellus flores producit amœnos;
At tuus iste rosas vomer auitus arat.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM D. IOANNEM TARNOWSKI DEI GRATIA EPISCOPVM POSNANIENSEM,

Petri Liliæ S.T. Doctoris, Canonici Poſnanienſis, & Sredenſis Præpoſiti, ORATIO.



Vdi obſecro, Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Antiſtes, quid in tuo feliciſsimo & nobis omnibus optatiſsimo in Epiſcopatum ingreſſu ſpiritus huius Sredenſis Eccleſię tibi dicat: Sredenſis, inquam, Eccleſiæ, quæ tametſi ad aſpectum vile oppidum videatur; nõ eſt tamẽ, vt cum Propheta loquar, minima in Principibus Iuda. Hæc enim à Baſilienſi generali Concilio, ſub idẽ tempus quo Beatiſsimæ Virginis Mariæ Conceptionis diem ſacraret, & Romanæ Orthodoxæq; Eccleſiæ Græcos conciliaret, in Collegiatam Eccleſiam fundata eſt: nimirũ ſacrum illud Concilium generale eius Eccleſiæ decus ad augendam Dei gloriam pertinere iudicauit: hęc ſemel fidem Chriſti ſuſceptã, in eo loco ita tutata eſt; vt Sroda nullum ferat hæreticum, Iudæum non patiatur, ſemperq; eos alat, qui non curuârunt genua ante Baal: hæc non paucos hæreticos Catholicæ Eccleſiæ reſtituit: multos ex faucibus dæmonis eripuit: plurimos à ſcelere ad innocentiam reuocauit: hæc ſæpiùs comitia nobilitatis à maxima pernicie & peſte ſalutaribus conſilijs auertit: iraſq; efferueſcentes à cæde & incendio patriæ compeſcuit. Omne enim bonũ non humanis conſilijs conſtituitur; ſed de ſurſum deſcendit à patre lumi-

num. Huius igitur Ecclesiæ Sredensis spiritus quid tibi in hoc primo & felicissimo aduentu dicat, audi obsecro: quod vt facias à te humillime iterum atq; iterum postulamus. A vobis etiam, Amplissimi Senatores, cæteriq; Auditores ornatissimi enixè petimus; vt nostram hanc qualemcunq; gratulationem & Antistiti nostro debitam, & vobis, vt spero, non iniucundam, & nobis nostroq; officio congruentem, me benignè attenteq; audiendo, prosequi velitis.

Magnum illud fuit, Illustrissime & Reuerendissime Antistes, cùm Sigilmundus III. Poloniæ Rex, mortuo Reuerendissimo Luca Koscielecio, te Episcopum Posnaniensem designauit. Est enim eius Regis singularis pietas & sapientia: quæ duo efficiunt; ne aliquid optimus Rex sine magno consilio moliatur. At profectò multò maius est & Ecclesiæ salutarius: cùm ipsemet Iesus Christus totius vniuersitatis Dominus & mundi redemptor diuinæ suæ prouidentiæ manu Episcopale diadema coronam de lapide precioso, tuo sacro capiti imposuit: te gloria honoris coronans, & ope fortitudinis corroborans, super opera manuum suarum, quas clauibus pro humani generis salute cruci affigendas permisit, principem constituit: teq; vnum ex multis prętantibus viris delegit: cuius potissimum opera in excolenda huius Dioecesis Posnaniensis vinea vteretur. Hanc igitur Dei gratiam hoc immortale decus, hoc Ecclesiæ solatium, hoc Reipub: columen, hoc proborum perfugium, hoc gloriæ Dei propugnaculum, tibi hodierno die nos huius Ecclesiæ Sredensis sacerdotes maxima & diuina quadam lætitia incensi gratulamur, & immortali Deo immensas agimus gratias: quod te talem Episcopum creârit; qualem afflicta Ecclesia Iesu Christi requirit, perturbata Respub: exposcit, probi omnes ad auertenda imminentia multa & maxima pericula exoptant, oppressi desiderant, pupilli expectant, mali metuunt, hostes reformidant; & cuius desiderium & solicitudo Ecclesiæ

Dei

Dei animum noctes diesque exedebat. Paucis verbis diuinitatem quandam in tua ista dignitate conclusimus. Sed ne alicui de tua ista excellentia & Ecclesiæ Iesu Christi maximo bono ex aliorum exemplis dubitatio obrepat, huius tuæ felicitatis & nostræ gratulationis rationes paucis explicabo.

Ego de Episcopatu, hoc est maximo in Christi Ecclesia honoris & dignitatis gradu aliter sentio; quàm fert plebis & multitudinis opinio. Hæc enim cum maximam felicitatem, in rerum affluentia & honoribus statuat; in Episcopatu summa omnia arbitratur, opes & honores: quæ etsi inter media bona & virtutis adminicula & instrumenta à sapientibus viris iure optimo numerantur: nullo tamen pacto summa censentur bona: vtpote cum sint caduca immortalis animi statum nulla ratione attigerunt. Longè diuiniora & excellentiora in Episcopatu sapientes & sancti viri suspiciunt & admirantur: quæ si oculis homines cernerent, ad multò maiorem Episcopis deferendum honorem, planeq; coelestem & diuinum, excitarentur omnes. Numen enim quoddam in terris, Deus Episcopos esse voluit: & inter splēdentes firmamenti & Regni coelestis Stellas Solem splendidissimum: quod non ex hominibus didicimus, nec solùm ex sapientum doctrina hausimus; sed etiam ab ipso Deo accepimus. Danielis.n.sanctissimi vatis oraculū in firmamento Ecclesiæ Dei & coelesti illius orbe doctos ceu micantes Stellas collocauit. At Episcopi & doctis, & alijs omnibus in Ecclesia Dei ad omnem dignitatem & præstantiam antecellunt. Ipsi enim sunt ministri Apostolicæ dignitatis. Itaq; cum docti, qui animos hominum ad sapientiam & pietatem informant, sint Christi Ecclesia Stellæ; certè Episcopi Soles sunt & splendidissima astra. Nam in illa coelesti regione secundum Solem stellis nihil est præstantius, nihil admirabilius, nihil diuinius. Atq; eius quidem diuini Solis Episcopali officio & munere Christi Ecclesiam illustrantis, tanta est præstantia, tanta excellentia & ma-

iestas tanta; vt ipsemet Iesus Christus Dei Filius in eo suum posuerit tabernaculum tot tantisq; diuinis muneribus & donis ex preciosissimo sanguine pro genere humano effuso circumfluens atq; redundans: IN SOLE, inquit Regius Propheta, POSVIT TABERNACVLVM SVVM. En igitur Episcopi opes: en honores. Vltra quo progrediar habeo: & in Episcopatu demonstrabo maiora & diuiniora: imò verò non ego; sed demonstrabit sanctissimus Rex & Propheta Dauid. Nam ex eodem tabernaculo in Sole Episcopalis muneris constituto Iesus Christus procedit tanquam sponsus de thalamo suo. In quo Episcopi maxima præstantia cernitur. Quis enim ignorat eos omnes ex Iesu Christi gratia excidisse, qui à pastoris sui obedientia errore & amentia desciscunt? Non enim hominis, sed ipsius Iesu Christi illud est decretum, in tabulis legis diuinæ incisum: QVI VOS AVDIT, ME AVDIT. ET QVI VOS SPERNIT ME SPERNIT. Itaq; ad eos qui iugum Domini suaue excutiunt, non procedit ex suo tabernaculo Christus tanquam sponsus de thalamo; sed tanquam sceleris vltor & impietatis vindex acerrimus; vt eos sui furoris telis confodiat, & flammis æterni supplicij conficiat & consumat. Ad eos verò qui in Episcopali, hoc est, in tua istâ dignitate, Iesum Christum agnoscunt: qui in te authoritatem eius intuentur: qui te Pastorem, Prophetam, & tanquam Moysen, & Ducem, ac sacerdotem sibi esse diuinitus datum suspiciunt, venerantur & obseruant: qui tuæ voci obtemperant, alienos clamores non audiunt: qui tuis monitis tanquam Christi parent: qui tua consilia velut diuina sequuntur, Iesus Christus ex suo tabernaculo procedit, non tanq̃ vindex & iudex seuerus; sed tanq̃ sponsus de thalamo lætissimus. Procedit aũt primùm ad eorum hostes deprimendos, frangendos conterendosq;: deinde verò ad eos suo diuino splendore collustrandos, in libertatem pristinam vindicandos, ad eorum animos eri-

gendos

gendos & coeleſtibus bonis augendos & locupletandos: & quod omni admiratione & ſtupore dignum eſt, ad homines natura viles, conditione ſeruos, fortuna miſeros in ſumma illa felicitate & immortali gloria cohæredes ſibi conſtituendos & nuptiali foedere & amicitia ſecum iungendos & copulandos.

At dices hæc quidem eſſe prodigijs omnibus admirabiliora; verum Ieſu Chriſti propria. Sic profectò eſt. Itaq; Epiſcopi munus, ad tam celſum præſtantiæ & dignitatis gradum Dei immenſa clementia euexit; vt imperium illud, quod atteſtante Iſaia, eſt ſuper humeros eius diuiſum cū Epiſcopis Chriſtus habeat. Magnum decus, magna dignitas, non verborum amplitudine; ſed rei pondere, nec in antrum retruſa; ſed in luce & oculis omnium defixa: & à Ieſu Chriſto in candelabro collocata; vt ab omnibus, qui ſunt in domo videatur. Quòd ſi ea lucerna à Chriſto accenſa aliquorum quaſi per caliginem perſtringit aciem animi: id accidit eorum vitio. Omnis enim caligo clariſsimis, quæ protulimus Chriſti teſtimonijs & Vatum oraculis diſcuſſa eſt, lucent, patent omnia. Atq; cum alijs multis argumentis ſeipſam in lucem profert, ſeq; omnibus videndam porrigit; tum illa etiam ſumma in terris & in coelis ligandi ſoluendiq; poteſtate: quam cùm Chriſtus cum Epiſcopis communicauit, omnes gratiæ ſuæ fontes in illorum munere & officio ita concluſit; Vt quæcunq; illi ſoluerent in terris; in coelis quoq; ſoluerentur, & quæ ligarent in terris; in coelis quoq; arctis vinculis ligata & conſtricta tenerentur. O diuinam & non hominum tantū prædicatione, ſed & Angelorū linguis, Archangelorū vocibus & Seraphinorum diuinis acclamationibus celebrandam Epiſcoporum dignitatem! Quid enim eo munere, quo ſumma illa hominum beatitudo conſtat excellentius? quid diuinius? quid admirabilius? Meritò igitur D. Paulus ſe imprimis, deinde eos qui Apoſtolicam gerunt dignitatem non hominibus tantum, ſed & Angelis & Deo admirabiles eſſe clariſsima

voce fatetur: SPECTACVLVM, inquit, FACTI SVMVS ANGELIS DEO, ET HOMINIBVS. Sed cur, ô diuine Paule, ſpectaculum facti eſtis? in quo Deo & Angelis tantam admirationem commouiſtis? QVIA, reſpondit D.Paulus, ADIVTORES DEI FACTI SVMVS. Si in creationis opere magnum eſt: ſi in redemptionis maius: ſi in vtroq; maximum & admirabile. In vtroque autem Epiſcopi cum D. Paulo Chriſto operam ſuam nauant. Opus enim redemptionis & vim infinitam & precium immenſum in ſe comprehendit. Non igitur qualeſcunq; adiutores Dei ſunt Epiſcopi, non qualiacunq; inſtrumenta; ſed prorſus diuina & admiranda.

Ad finem propero cui hoc reſeruatum eſt; vt quid in eo genere præclariſsimarum Chriſti actionum Epiſcopi munus valeat, quamq; rationem cauſæ aſſequatur, quàm clariſsimè exprimerem. Non enim vt Reges ſolent; ſic Deus confert dignitates & honores. Illi enim honores tribuunt; ſed virtutes honoribus debitas non tribuunt. at Deus cum honore & dignitate virtutem tribuit. Non prius Moyſen in Pharaonem conſtituit; quàm illi virgam illam porrexit, qua mare diuiſit, & ex petra flumina eduxit. Non prius Apoſtolos in omnes regiones terræ dimiſit, quàm eos virtute ex alto induit. Non prius Paulum periculis obiecit; quàm in tertium coelum rapuit. Non prius Stephanum in concilio Iudæorum ſtatuit; quàm eum plenum gratia & ſapientia, & prodigijs admirabilem effecit. Non prius Laurentium Diocletiano oppoſuit; quàm ardentibus diuini amoris flammis pectus illius incendit. Itaq; de Epiſcoporum munere ita nobis ratiocinãdum eſt. Vt Solem iſtum Deus clementiſsimus in ſublimi coelo collocauit; vt per eum tanquam cauſam ſecundam & inſtrumentũ nobiliſsimum omnia iſta, quæ infra lunam ſunt, excitaret, multiplici vigore inſtrueret & inſatiabili quadam veſtiret pulchritudine; ita Ieſus Chri-

ſtus

ftus Dei Filius, in altiſsimo Eccleſiæ coelo primùm quidem, vt D.Paulus ait, poſuit Apoſtolos: per quos, ceu Solem quendam, diuinitatis lumen in homines ſpargeret: omniaq; illa cœleſtia bona, pretioſo ſanguine parta, velut riuis quibuſdam, in electos ſuos effunderet. An non eſt illa Chriſti Domini vox ad Apoſtolos: VOS ESTIS LVX MVNDI? Atqui Epiſcopi, poſteaquam Apoſtoli ad beatas ſedes tranſlati ſunt, ad eorum vicem acceſſerunt. Pleni ſunt ea re, Apoſtolorum libri. clariſsimè id Paulus in Tito & Timotheo oſtendit. Deniq; ipſum munus Epiſcopi, ceu in quodā ſpeculo, Apoſtolicam dignitatē in ſe repræſentat. Apoſtolis enim ſumma, illa ligandi ſoluendiq; poteſtas imprimis conceſſa eſt; conceſſa eſt & Epiſcopis. Apoſtolis datum eſt, noſſe myſteria regni; datum eſt & Epiſcopis: & vt Apoſtolos; ſic nunc Epiſcopos clementiſsimum Deum, ſuper omnem terram Principes conſtituiſſe, luce palam intuemur. Ergo vt Apoſtolos; ſic nunc Epiſcopos Chriſtus Dominus his vocibus appellat: VOS ESTIS LVX MVNDI. Ergo, cum idem clementiſsimus Deus, te Antiſtes Ampliſsime, ad Epiſcopi munus vocaret, tibi quoque dixit: TV ES LVX MVNDI. Dicere autem Chriſti, eſt facere. IPSE enim DIXIT, ET FACTA SVNT: IPSE MANDAVIT; ET CREATA SVNT. Ex quo concluditur, cum tu ad clauum, huius Dioeceſis ampliſsimæ imperio Ieſu Chriſti conſediſti; vt illum Eliacim filium Elciæ, vt eſt apud Iſaiam; ſic te Deus tunica ſua induit, balteo ſuo præcinxit, poteſtatē maximam in manus tibi tradidit; vt ſis quaſi pater habitantibus Hieruſalem, & domus Iuda: tibi clauem domus Dauid tradidit; vt aperias, & nemo ſit qui claudat, & claudas & nemo ſit qui aperiat. Deniq; omnem gloriam domus patris ſui, in te contulit; vt, ſplendore diuino circumfuſus, & virtute ex alto confirmatus, diſperſa congregares, confracta colligares, infirma erigeres, fortia conſolidares, & vt Sol ſplendidiſsimus, ſcelerum & impietatis te-

 tis te-

tis tenebris disiectis,& dissipatis,totam Dioecesim Posnaniensem,tuæ sapientiæ & pietatis luce compleres & illustrares. Hæ sunt tuæ opes, hæc ornamenta, hæc dona,& pignora diuinæ gratiæ.

Hîc mihi iam, Præsul Amplissime, ad pietatem cohortandus esses. Nam & Ietro monuit sapientissimum Moysen,& Ducem Israëlis. Sed tot tantáq; bona, cum Episcopatu in te diuinitus collata, ad virtutem & pietatem maximo tibi esse incitamento, certò mihi persuadeo. Nam quæ alios in fastum eleuant; ea ad illam admirabilem humilitatem,qua S. Martinus laudatissimus Episcopus luxit, tuum animum deprimunt: quæ in alijs Dei amorem extinguunt; ea flammis illis quibus S. Adalbertus,& Stanislaus Sanctissimi Episcopi & Martyres Poloniæ flagrarunt, pectus tuum admirabiliter incendunt. Itaq; totam meam cohortationem, his paucis D. Pauli verbis concludam: NOLI NEGLIGERE GRATIAM, QVÆ DATA EST TIBI. Non negliges autem: cum lumbos tuos disciplina SS. Patrum præcinges: cum lucernam accensam, hoc est ardentem in Deum & homines charitatem gestabis: te lucem reputans & lucernam accensam,nullum cum vitiorum tenebris commertium habebis: QVÆ ENIM, ait D. Paulus, CONVENTIO EST LVCIS, CVM BELIAL? cum quantum Sol à terra distat; tantum te non solùm ab ira, odio & vindicta, quæ tu semper vt pestem horruisti; sed etiam à leuissima contagione animi & vitio seiunges: cum tuba illa terribili & Michaëlis Archangeli voce: SVRGITE MORTVI AD IVDICIVM, & comedens & bibens, & in templo,& in Senatu,& domi,& foris animum tuum,ad maximam pietatem, humilitatem, modestiam, patientiam, excitabis: cum ad illas beatas sedes, quas tibi Iesus Christus in immortali gloria parauit, & tibi vnam ex illis inter Patriarchas, Apostolos, & sanctissimos Episcopos, & vigilantissimos Pastores de-